



Scipio Luciani carmine elegiaco redditus

<https://hdl.handle.net/1874/421193>

SCIPIO
LUCIANI CAR-

mine Elegiaco redditus.

Autore Materno Steyndorffer
Erffordiano.

Interlocutores:

Alexander, Hannibal, Minos, Scipio.

AD LECTOREM:

Si cupis exiguo cognoscere carmine Lector,
Maxima clarorum bellica gesta ducum,
Hoc quod nostra tibi profert lege rustica Musa,
Fustibus in medias ire coacta vias:
Hanc certè fateor sponte erupisse decebat,
Sed uetere metus, barbariesq; rudis.
Consuluisse boni, nec contempnisse proterue,
Chare puta Lector, muneris esse tui.

THE HISTORY OF THE

ROYAL SOCIETY OF LONDON

FROM ITS INSTITUTION

TO THE PRESENT TIME

BY JOHN DE LAET

AND JOHN WALLIS

IN TWO VOLUMES

THE SECOND VOLUME

CONTAINING THE HISTORY

OF THE SOCIETY

FROM THE DEATH OF

CHRISTOPHER WREN

TO THE PRESENT TIME

BY JOHN DE LAET

AND JOHN WALLIS

IN TWO VOLUMES

THE SECOND VOLUME

CONTAINING THE HISTORY

OF THE SOCIETY

FROM THE DEATH OF

CHRISTOPHER WREN

REVEREN

DO AC NOBILI

Viro D. Henrico à Vuurtzburg,

Herbipolitanae Ecclesiae Canoni-

co & seniori, Domino ac pa-

trono suo Colendissimo Ma-

ternus Steyndorffer

Erfordianus,

S. D.



GNOSCO me
plurimis beneficijs ti-
bi deuinctum Vir ue-
nerande ac apprime
nobilis, Atq; æquum esse meæ gra-
titudinis erga te qualecunque exem-
plum præstare. Atque utinam tam
mibi adesset facultas quam non deest

A ij in

EPISTOLA

in hoc honesta uoluntas. Verum cum
nulla opum remuneratione aut ma-
ioribus exemplis id demonstrare
possim, bonæ meæ uoluntatis speci-
men tantummodo exhibiturus, hunc
tibi Dialogum Luciani à me car-
mine redditum offero, dedico atque
dono, confisus te æquo animo acce-
pturum. Notum tibi est uulgo iacta-
tum prouerbium: Munerum animus
optimus. Aurea cum nequeo carta-
cea munera mitto. Quod autem
hunc Luciani Scipionem præ tot
multis alijs non minus iucundis ac
elegantissimis mihi uertendum tibiq;
dedicandum elegerim, patrone co-
lendissime, multæ sunt causæ quæ me
compulerint. Meo iudicio lectu ui-
detur

N V N C V P A T O R .

detur ualde iucundus, si modo prodignitate orationis ac factorum à me sit redditus. Hoc animum tuum interdum curis atq; quotidianis negotijs fatigatum recreare poteris, scilicet clarorum horum ducum egregijs factis in hoc Dialogo, tanquam in speculo, perspectis. Tum quòd habeas auunculos adolescentes sanè morum ac uirtutis candore insigni preditos, quos cum ad uirtutem capessendam & ad uitæ rationem recte instituendam sæpe adhortari soleas, hinc tota nauis plena exemplorum promanabit, ut tantas clarissimorum hominum laudes diligentissimè intueantur, & Scipionem præcipue imitari studeant, qui statim à pri-

EPISTOLA

mis annis bonis artibus deditus semper bonus & præclarus esse, quàm uideri maluit turpe existimans quòd à maioribus natu ac præceptoribus didicerat non re ipsa præstare, &c. Tum quoque me mouit, ut, cum in hac nostra ciuitate superioris consilij sis iudex primarius, ex hoc Dialogo, quòd sit Iudicis officium subinde commonefactus, æquitati, quam ubiq; tamen promouere soles, præcipue studeas, ne alteri, nisi audito quoq; aduersario, iudicij sententia decernatur. Minos hic Iudex Alexandro ac Scipione non auditis, Hannibalem facile iudicasset præstantissimum qui tamen re perspecta habetur infimus. Reliqua quæ hinc tibi petèda,

Patro-

N V N C V P A T O R .

Patrone colendissime, scriptu super-
 uacanea esse duxi, cū iudicium tuum
 cum in omni tum in hac re sit ex-
 cellentissimum: Et ridiculum uide-
 retur paruum carmen longa præ-
 fatione onerare, Tu modo operam
 meam hac in re boni consule, &
 quod prætermisum est, inscitiae meae
 adscribe, qui hoc contentus non est,
 Græcum exemplar aut Latinum,
 ubi ea omnia patent clarius, consu-
 lat: Vale, & Deus tecum

tuis diu seruet incolu-
 mem, Herbipoli

Anno

M. D. XLIII.

A iij Ale

LVCIANI SCIPIO.

Alexander.

TE longe supero, cristas depone superbas,
Nostra tuis factis anteferenda puto.

Hannibal.

Pernego præponi tibi me fas suspicor esse.
Laus quam tu iactas conuenit illa mihi.

Alexander.

Sis Iudex Minos, tu Iudex iustus haberis,
Omnia iudicio stentq; cadentq; tuo.

Minos.

Quis tu? quod nomen? si Iudex nuncupor esse,
Æquum est, ut certo quis sit uterq; sciam.

Alexander.

Hannibal hic Lybicus, Ego natus rege Philippo
Magnus Alexander: Stemmata tanta loquor.

Minos.

Laudibus eximijs certè celebratus uterq;
Quæ de re uobis lis peragenda uenit?

Alexander.

CARMI. ELEGI. REDDIT.

Alexander.

Quod fuerit melior me dux exercitus inquit,
Lis hæc est nobis maxima præstet uter,
Quod non hunc solum supero patet omnibus, Imo
Vincō qui cunctos me ante fuerē duces.

Minos.

Laudes ergo suas depromat uterq; uicissim,
Enarra qui sis Hannibal ergo prior.

Hannibal.

Victus Alexandro ne prima fronte uiderer,
Hic linguam Græcan me didicisse iurat:
Verum præcipua dignos hos iudico laude
Quos magnos uirtus propria sola facit,
Qui nulla turgent clarorum stirpe parentum,
Iactantes proauum regia facta suum.
Quem sua nobilitat uirtus, generosus habetur,
Hinc laus principibus non aliunde uenit,
Cum Subconsul eram, me iuncto fratre Senatus
Iussit in Hispanos arma mouere ducem,
Deuici Gallos, Celtas cepiq; feroces,
Contentos nimium non ditione sua:

LUCIANI SCIPIO.

Mox ubi tot montes uidi post terga relictos,
 Urbes transcurri totius Eridani,
 Quas ibi non terras? ibi quæ non oppida tandem
 Conspexi forti diruta Marte meo?
 Quin planam Italiam regali clade coëgi
 Tendere submissas ad mea sceptrâ manus,
 Nil metuens Romam fortem, belloq; potentem,
 Quid possent uires sensit & illa meæ,
 Intrepidis animis ego adusq; suburbia ueni
 Doctus Romanos nolle timere uiros
 Quorum mactaui tot in una luce, ut eorum
 Partiri modijs deinde necesse fuit:
 Aurea quæ digitis quisq; ornamenta gerebat,
 Quam spolia inde meus miles opima tulit:
 Porro cadaueribus compleri flumina magna,
 Transmigraturis hæc uice pontis erant.
 Atq; hæc cuncta meo contentus nomine feci,
 Contemnens titulos nomina uana nouos,
 Non Ammon dici cupidus, diuusq; uideri,
 Aut matris narrans somnia falsa meæ:
 Solum me cunctis hominem sine fine fatebar,
 Humanæ sortis præsidijq; memor.
 Sic mea continuo (quibus est cautissima cura)
 Contra prudentes bella fuere duces,
 Non contra Armenos timidos, Medosq; fugaces,
 Qui

CARMI. ELEGI. REDDIT.

Qui fugiunt longe quàm sequerere prius,
 Ac palmam tribuunt pugna procul inde remota,
 Audenti cuius intrepidoq; uiro:
 Hic uero patrij regni successor, idipsam
 Auxit fortunæ dotibus usque suæ,
 Qui iam deuictò miserando rege Dario,
 Iussit adorari nomina uana sua.
 Molles delicias Medorum concelebrando
 Vidimus hunc clarum magnificumq; ducem,
 Cum non horreret conuiuia leta nefandis
 Ipse latrocinij commaculare suis.
 Quot sibi dilectos gladio transfodit amicos?
 Quotq; id facturis auxilio ipse fuit?
 Ast ego sum patriæ charæ semper dominatus,
 Hæc quod me iussit promptus inire sui.
 Cum Lybiam contra naualis maxima turba
 Nauigat, hostili tota referta manu,
 Patria me reuocat, redij reuocatus in ipsam,
 Me priuatum hominem continuoq; dedi.
 Non facie aduersæ fortunæ territus unquam,
 AEqua damnatus omnia mente tuli:
 Barbarus hæc agi, non iactans dogmata Græca,
 Siue me Homere tuos edidicisse libros.
 Vel quod Aristotelem licuisset habere magistrum,
 Cuius doctrina prouidus esse queam:

Solum

LVCIANI SCIPIO.

Solum natura propria quam maxima uirtus
Hinc animo dederat usus ubiq; sui.
Hæc sunt quæ uolui iustissimè dicere Minos,
Cur illi merito sum anteferendus ego,
Sed tu quod forsân caput hic diademate cinxit
Obijcies laudes exuperare meas,
Hoc nil te moueat, Macedo sic ire solebat,
More suæ gentis scilicet ille facit:
Non ideò debet dici præstantior ipse,
Aut palmam præ me laudis habere bonæ,
Quem fortuna magis, sua quam sententia mentis
Præclarum faciat magnificumq; uirum.

Minos.

Dixisti certè Lybicorum more diserte,
Tu quid Alexander dicis ad ista? refer.

Alexander.

Non equidem Minos sermones usque proteruos
Responso dignos suspicor esse meo,
Nam te sola potest certissima fama decere,
Quam semper celebri rex ego laude fui:

Hic

CARMI. ELEGI. REDDIT.

Hic contra quantus latro, quantusq; tyrannus,
 Cunctis cœlicolis terrigenisq; patet:
 Tu tamen ô Minos paucis aduerte, quod illum
 Exuperet laudis gloria multo meæ.
 Successi patrio regno, iuuenisq; tenellus
 Obtinui forti talia regna manu,
 Quiq; meum patrem miseranda morte necarant,
 Vltori pœnas nempè dedere mihi.
 Mox postquàm Thebæ centum cautissima portis
 Viribus occubuit diruta tota meis.
 Tantus eram cunctis terror tam magnus e, ut me
 Eligeret dominum Græcia tota suam:
 Meq; mei patris contentum uiuere regno
 Inuicti minime regis id esse ratus,
 Totum orbem terræ sitij, durumq; putauī.
 Non esse imperio subdita cuncta meo.
 Illico non magna me concomitante caterua
 Inq; Asiam duxi bellica castra mea,
 Hic Lydiam cepi, mihi cecidit Ionia uicta,
 Subieci Phrigios imperioq; meo,
 Ad fluuios Ipsi rege expectante Dario
 Deueni, hic nobis maxima pugna fuit,
 Qualem præstiterim me tum iustissime Minos
 Hoc tibi conspicuum suspicor esse satis,

LUCIANI SCIPIO.

Vno quando die tot mortua corpora misi
 Ad stygias undas, tartareosq; lacus,
 Ut neget ipse Charon sibi suffecisse biremem
 Qua transuexisset corpora tanta scapham,
 Quin se compositis ratibus portare coactum,
 Ni uelit officijs ipse deesse suis:
 Talia confeci dum me ipsum oppono periclis,
 Et me quæ ledant uulnera nulla timens,
 Quos apud Arbelas egi Tyriosq; triumphos,
 Quod sit opus dictu suspicor esse nihil:
 Indos deueni, prius haud contentus abire,
 Quam foret imperij terminus Oceanus,
 Isthoc indomitos elephantes tempore cepi,
 Ingentem Porum, terribilesq; Scythas,
 Dilectis etiam rursus iungebar amicis,
 Nempè inimicitias ultus ubiq; meas:
 Quod uerò inuictus multis Deus esse uidebar,
 His ignoscendum suspicor esse satis.
 Nam quod sentirent ignari talia de me.
 Esse puto causam regia facta mea.
 Tandem cui cuncti nos subdita turba manemus:
 Me quoq; mors stygios iussit adire lacus.
 Hannibal hic autem crudelis more Tyranni
 Pulsus in exilium magne Bithyne tuum,

Italiano

CARMI. ELEGI. REDDIT.

Italiam taceo quo pacto uicerit ipse,
Non uirtute, sed hanc fraude doloq; suo,
Nunquam iustitiae, nec clari nominis unquam,
Siue ducem deceant qualia facta memor:
Quod mihi delitias muliebres exprobrat, ipsum
Oblitum proprii criminis esse patet.
Nunquid apud Capuas muliebri captus amore,
Atq; uoluptati deditus usq; suae,
Prodidit illius fuerat quae occasio belli?
Magnanimo nunquid talia digna duce?
Verum quid tanto meruisssem nomine dignum
Contentus regno diuitijsq; patris.
Si mea non uersus Orientem castra locasssem,
Nostra sub occasu uilia regna putans.
Cum capere Italiam poteram sine sanguine totam,
Ac Lydiam ad Gades scilicet usque truces,
Non uolui, quoniam percussi mente, rogabant
Supplicibus manibus regia sceptrata mea.
Tu nunc iudicium profer iustissime Minos,
Pauca ea de multis est retulisse satis.

Scipio.

Decernatur adhuc nulli uictoria Minos,

Ni prius

LUCIANI SCIPIO.

Ni prius audieris qualis & ipse ego sim.

Minos.

Quòd te tam claris audes conferre dynastis;
Optime uir, qui sis, qualis, & unde refer.

Scipio.

Qui muros triplices altae Carthaginiis urbes
AEquavi, & tenui culmina tota solo:
Atq; Afros fortes multo certamine uici,
Scipio Romanus scilicet ipse uocor.

Minos.

Non contemendus certe tua digna relata
Facta puto, promas qualiacunq; uelis.

Scipio.

At non egregios ideò iactabo triumphos,
Ut uidear ducibus anteferendus ijs:

Nanq;

CARMI. ELEGI. REDDIT.

Nanq; huiusce sui generis sitibundus honoris
 Nunquam, uel tantæ laudis auarus ego.
 Esse magis semper uolui, quàm uelle uideri,
 Sedulo displicuit ambitiosus honor:
 Non alios unquam conatus uituperare,
 Ut ualeam laudes amplificare meas:
 Quod iam confectum ducibus præsentibus istis,
 In se laudando talis uterq; fuit.
 Displicuit puero uitium mihi protinus omne
 Quàmprimùm Musis additus ipse sui,
 Mox quæ me docuit fidus præcepta magister.
 Atq; exempla mihi quæ retulere senes,
 Edidicisse modo, nec re præstare, putau.
 Tam uano titulo turpius esse nihil,
 Hinc quoq; dilectæ patriæ spes maxima uixi,
 Et quæ ne minima parte fessellit eam:
 Cum consultaret Romano more senatus
 Deficiens magno terribiliq; metu.
 Patria iamdudum multis agitata procellis,
 Effet ne auxilijs destituenda suis,
 Vix iuuenis (iuuenem cum nondum tanta decerent)
 In medios stricto cominus ense senes
 Profilijs, minitans hunc hostem me esse habiturum
 Qui patriæ uires auxiliantq; neget,

LUCIANI SCIPIO.

Quare uix natus uiginti quatuor annos
 Me elegit belli patria clara ducem,
 Protinus inuasi muros Carthaginis altae,
 Exigua belli me comitante manu,
 Isthic Hannibalem uici, profugumq; fugauit,
 Hanc urbem superans obsidione mea.
 Hæc mihi cum peperit uictoria clara triumphum
 Extollens laudis nomina magna mee,
 Nil me tam facilis fecit fortuna superbum,
 Idem pauperibus diuitibusq; fui,
 Veras diuitias in amicis esse putabam,
 Perpendens auri magna talenta parum:
 Per quinquaginta quos uixi quatuor annos
 Diuitias auxi, diminiq; nihil.
 Nanq; foro rediens nunquam nisi adeptus amicum
 Officio, uolui tecta subire, meo
 Ut mercatori studium est corradere lucrum,
 Sic mihi amicitias iungere cura fuit.
 His qualis fuerim testatur Linius ipse,
 Et reliqui laudes qui cecinere meas.
 Ergo triumphauit rediens Carthagine uicta,
 Cum me Censorem patria Roma uocat,
 Mox ubi transcurri Syriam, Aegyptumq; uictusam,
 Atq; omnes oras Græcia clara tuas,

Eligor

CARMI. ELEGI. REDDIT.

Eligor hinc iterum Consul, quo tempore demum
 Confeci propria maxima bella manu.
 Tunc est uicta meo peruersa Numantia Marte,
 Militibus nostris urbs odiosa nimis.
 Elatum uidit rebus me nemo secutus,
 Cum fortuna mihi prospera diua fuit,
 Nec me deiectum uultus si forte serenos,
 Contraxit, munitans tristia fata nubi.
 Quin mea tanta fuit libertas scdulo mentis,
 Cum poteram nummis æquiualeere Midæ,
 Non ultra libras uiginti quatuor atque
 Argenti, liqui post mea fata meis,
 Atque illud nulla possum ratione tacere
 Crudelis nunquam, iustus ubique fui.
 Omnis cuiusuis generis corrupta uoluptas,
 Hoc animo longe tota remota meo.
 Hec ego ut insipiens dixi iussissime Minos,
 Non quod præferri talia facta uelim,
 Sed tantas laudes sub cæca nocte latere
 Non manifestatas sum ratus esse graue;
 Ut patet ante alios omni uirtute ualere
 Romanos forti militiæque sua.
 Ac ueluti uiuus pugnaui fortiter armis
 Pro patria mortis uulnera nulla timens,

LVCIANI SCIPIO.

Sic quoq; defunctus Iudex apud infera regna
Pro patria dixi talia uerba mea.

Minos.

Et recte, & dignum Romano, Scipio dixti,
Profero iudicium more iubente meum,
Quod sis æqualis tu, uel præstantior istis
Ex gestis constat Scipio magne tuis:
Palmam cedo tibi, sit Alexanderq; secundus,
Hannibal extremas (si placet) ipse ferat.

Scipio.

Tollat Alexander palmam, me clarior hic est,
Eius uirtutes, imperiumq; scio,
Sed quem deuici, fractumq; timore fugauit,
Fas est Hannibalem cedere deinde mihi,
Audet Alexandro qui se confirre potenti,
Scipio cum nunquam uictor id ausus erat.

Minos.

Æqua

CARMI. ELEGI. REDDIT.

AEQUA quidem dicis, quare tua candida dicta
Nostro iudicio continuata uolo:
Primus Alexander, sis Scipio deinde secundus,
Hannibali extremus (si placet) esto locus.
Non adeò omnino spernendus & ipse uidetur,
Qui se tam magnum praestitit usq; ducem.

Finis.

MOGVNTIAE, IN
aëdibus Iuonis Schœffer,

Anno

à partu uirgineo

M. D. XLIII.

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..

Fine

MONTANA IN

... ..

Amo

... ..

M. D. XLIII

CRISTO



A 1990590

